



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Utrúm Clericus matrimonium contrahendo amittat beneficia obtenta ipso jure, an verò solum persententiam Judicis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. III.

Utrum Clericus matrimonium contrahendo amittat beneficia obtenta ipso jure, an verò solam per sententiam Iudicis?

Respondetur ipso jure, ante sententiam Iudicis, vacare beneficia, quæ Clericus validè matrimonium contrahens (etiãsi nondum illud consummaverit) obtinet; ut tradit *Glossa in c. 1. h. 2. V relinquenda* (cum quòd matrimonium validum, est de jure incompatible, cum beneficio Ecclesiastico, & consequenter, qui sciens hoc, validè contrahit illud, ipso facto beneficiis suis renuntiare videtur, cum quòd sub hac conditione Clerico conferatur beneficium, ut non assumat statum incompatible de jure cum beneficio, ergo non subsistente conditione, amittit ipso facto beneficium) non quidem quasi amitteret beneficium in pœnam delicti, quod nullum committit, si in minoribus adhuc constitutus validè contrahat, sed ob renuntiationem tacitam, aut deficientem conditionem, sub qua beneficium collatum est; & quamvis in jure dicatur, compellendos hos tales ad relinquenda beneficia & his privandos esse, intelligenda tamen hæc verba non sunt, quasi ipso jure non vacarent beneficia, sed quòd compellendi sint, ut possessione etiam cedant beneficiorum de jure vacantium. Extenditur autem hæc responsio, quòd per contractum validè matrimonium talis Clericus, omnia etiam jura ad beneficium obtinendum, vel acquirendum amittat, quæ fortassis per rescriptum gratiæ obtinuit, argu. *Clement. gratia 4. de rescriptis. &*

omnes etiam pensiones Ecclesiasticas quæ titulo Clericali alicui collatæ sunt, cum etiam hæc talia sub dicta conditione conferantur, & ipso facto his renuntiet, qui validè matrimonium contrahit; et tamen pensiones, quamvis ex redditibus Ecclesiæ sumptæ sint, quæ in stipendium laboris alicujus temporalis, Cantori v.g. Sacristæ &c. assignantur, sicuti ab uxoratis obtineri possunt, ita etiam obtentæ ante matrimonium retineri possunt, etiam matrimonio contracto, cum nec incompatibiles sint cum statu illo, nec sub conditione allata, sed in laboris mercedem assignantur.

Quodsi tamen Clericus talis beneficiatus invalidè contrahat matrimonium, sive in minoribus, sive in majoribus constitutus sit, ob impedimentum aliquod dirimens, secundum probabilior sententiam non vacat ipso jure beneficium, taliter invalidè contrahentium, cum rationes allatæ, pro hoc casu nulliter contracti matrimonii nihil probent, & quod irritum est, nullum possit producere effectum, sed si culpam aliquam contrahendo commiserunt, eò quòd v.g. in sacris constituti matrimonium in validè contraxerint, privari possunt suis beneficiis, in pœnam delicti commissi, & attentati, cum infamia statûs Clericalis, matrimonii: pœnales enim constitutiones, quæ nonnunquam attentationi eandem pœnam statuunt, quæ statuitur pro re consummata, extendendæ non sunt, ad casus non expressos in jure, qualiter casus hic de quo agitur, non est expressus.

§. IV.